

SCRIPTA

Numéro Scripta : 9534

Auteur(s) : Hugues d'Amiens, Rouen (archevêque)

Bénéficiaire(s) : Gautier, Foucarmont, Notre-Dame (abbé)

Bénéficiaire(s) : Foucarmont, Notre-Dame (abbaye)

Genre d'acte : lettre

Authenticité : non suspect

Datation : 1147

Lieu d'émission : Rouen

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Confirmation générale des biens de l'abbaye de Foucarmont par Hugues, archevêque de Rouen.

Tableau de la tradition

Copies manuscrites

B. Rouen, Bibl. mun., ms. 1224 (Y13), Cartulaire de Foucarmont, fol. 16-v. Copie du XIIIe siècle

Éditions principales

a. Waldman Thomas G., *Hugh 'of Amiens', Archbishop of Rouen (1130-1164)*, PhD Thesis, Oxford, Faculty of Modern History, 1970, 648 p. (dactyl.), Appendix : The Acta of Hugh 'of Amiens', n° 33.

Texte d'après a

Hugo, Dei gratia, Rothomagensis archiepiscopus karissimis in Christo fratribus Waltero et conventui Sancti Johannis de Fulcardimonte in perpetuum. Cum universis sancte matris ecclesie filiis debita karitate benigni existere debeamus, eis precipue prompti exauditores habemus apparere quos maior, ut creditur, gratia commendat quod fervor religionis copiosius exornat. Siquidem, in Domino dilecte fili abbas Waltere, de tua religione et honestate bene sperantes, te in specialem filium assumimus atque locum tuum cum habitatoribus suis religiose Deo famulantibus sub sancte Rothomagensis ecclesie et nostra protectione suscipimus. His itaque de quibus nos iuste postulatis assensum prebentes, annuere congruum duximus, atque petitionem vestram prompta benignitate exaudire. Ceterum ecclesiam Beate Marie Dei Genitricis Sanctique Johannis Evangeliste in qua, Deo actore, congregati estis cum his que sibi iuste pertinent vobis concedimus, et ecclesiam de Campanosavilla cum decima eiusdem ecclesie adiacente vobis similiter donamus. Decimam quoque loci qui dicitur Fraitiz de feodo Willelmi de Sauchosamara, et decimam lande de Baril Essart, atque decimam de Nova Landa vobis similiter donamus atque concedimus. Animalium etiam vestrorum et nutriture vestre decimam ac terrarum illarum quas propriis laboribus et sumptibus laboratis prout dominus papa concedit et nos concedimus et in usus pauperum et hospitem distribuendum specialius denunciamus. Ea igitur que filii nostri, comes videlicet Augi Henricus et filius eius Johannes vobis donaverunt, omnia scilicet prata sua de Fulcardimonte et molendinum de Lescenla, et in molendino eiusdem castelli septem modios frumenti, et tres modios avene ad horreum suum de Fulcardimonte, et partem culture sue que vestre ecclesie adiacet, et Essartum Baril et Essartum Engerili atque Novam Landam, et in foresta sua quietantiam pasnagiorum et herbagiorum, et quicquid opus erit vobis ad edificationem et ad ignem, et

decimam partem annone et denariorum de ministerio quod Gaufridus de Sancto Leodegario dudum custodivit ; et in molendinis de Blangeio singulis annis septem modios braisii, et apud Augum maeriam ad pannos emendos, et medietatem pratorum suorum apud Septem Molas, actoritate qua preminemus corroboramus, et presentis scripti pagina confirmamus. Terram quoque de Campanosavilla quam Robertus de Fanencort vobis donavit, et terram quam Robertus de Restouval vobis contulit, et terram de Fraitiz quam Willelmus de Portmort et Willelmus de Sauchosamara et Hugo de Hisloies donaverunt, vobis similiter concedimus et confirmamus. Ex dono vero Rogerii de Sauceio unam acram terre de foris Hosberti Maisnil et totam terram eiusdem Rogerii vastam que est in monte Haistreie liberam et quietam ab omni consuetudine. Item ex dono Walteri Pevrel pratum adiacens prato quod Henricus comes dedit ad abbatiam construdendam et duas acras terre nemerose. Item ex dono Walteri Pevrel et filiorum eius terram in qua est virgultum vestrum. Item ex dono Walteri Pevrel et filiorum eius totam terram suam que est inter culturam monachorum et culturam Gisleberti Caletot, et culturam eiusdem Walterii que est iuxta Vallem Engelberti. Item ex dono Willelmi filii Nicholai et Richeldis uxoris eius terram suam culturis monachorum ex utraque partem adiacentem et partem prati sui in quo est ortus monachorum. Item ex dono Gisleberti filii Soricee et Ricardi filii eius terram suam adiacentem culture monachorum et duas acras et dimidiam alterius terre ex dono ipsorum. Item ex dono Bernardi molendinarii et fratrum eius et Alberede matris eorum tres acras terre nemerose ab omni consuetudine liberis. Item ex dono Reinaldi de Septem Molis. Item ex dono Osberni de Pilo Cervino et Guidonis filii eius unam acram terre. Item ex dono Reinaldi de Septem Molis et Amabilis matris eius unam acram et dimidiam terre libere et quiete. Item ex dono Roberti sacerdotis Sancti Johannis tres acras terre quas hereditario iure tenuit de feodo Reinaldi de Septem Molis. Item ex dono Herberti de Canceio apud Criolium, unum ortum liberum et quietum. Item ex dono Abraham de Grandicuria unam acram terre. Item apud Criolium ex dono Johannis comitis unum hospitem, Willelmum videlicet filium Fulconis, solutum et liberum ab omni consuetudine. Hec igitur que supra nominata sunt sicut dono et concessione Henrici comitis et filii eius Johannis heredis sui vobis concessa et confirmata sunt, et nos concedimus atque in perpetuum firma stabilitate rata manere sancimus. Preterea quecumque possessiones aut bona vobis iuste collata sunt vel in futurum iustis quibusque modis, Deo propitio, poteritis adipisci, firma vobis et illibata permaneant, salva sancte Rothomagensis ecclesie reverentia et obedientia. Cunctis autem vobis et loco vestro hec et alia que iusta sunt conservantibus sit pax Domini nostri Ihesu Christi, quatinus et hic fructum bone actionis percipiant, et in futurum apud districtum iudicem premia eterne pacis inveniant. Si quis autem huius nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo terciove commonitus, si non satisfactione congrua quod presumpsit emendare curaverit, districta animadversione coherceatur, atque in extremo examine divina ultione feriat. Necnon concedimus vobis decimas Walteri Pevrel de toto feodo Fulcardimontis. Actum est hoc Rothomagi anno ab incarnatione Domini M^oC^oXL^oVII^o, regnante rege Francorum Ludovico, principante in Normannia comite Andegavensi Gaufrido.